



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 114. At illi manus iniecerunt in Iesum. v. 46.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

feffione. Hi enim quasi osculum præbent filio Dei, & eum peccatis suis iterum crucifigendum tradunt. O quam multi de hoc numero Sacerdotes, & quam multi fideles qui magna parte vitæ vix semel digne accedunt, eandem quam Iudas intulit, iniuriam renouantes. O quoties Domine à mille sexcentis annis hanc patienter iniuriam tulisti, poteras vel Helia ignem vel Anania subitam mortem, vel Elyma cæcitatem eis infligere ad ultionem, sed maioris charitatis ignem in cordibus eorum accendere ad conuersionem, si attendere vellent. Hæc est benignitas tua quam etiam testatus es erga Iudam: sed quoniam non recusasti proditorium & fallax osculum faciei tuæ, quanto magis confidimus te non repudiaturum miserorum peccatorum resipiscenciam, confessionem & penitentiam.

Domine, ipse Baptista sibi indignus visus est, qui vel corrigiam calceamenti tui solueret; Sanctis Regibus satis fuit, pedes vix nati pueruli lambendo osculari, Magdalena retro stanti iucundum erat plantas tuas tergere, quomodo igitur iste proditor contemptis pedibus mox os augusti illud ac sacrum profano suo ore irruit? Impudens igitur fuit valde iste Iudas, qui sic se cum Domino gessit, abige obsecro Deus inuerecundiam, & impudentiam longe à me & tuis fidelibus.

§. 114. *At illi manus iniecerunt in Iesum. v. 46.*

Viso simbolo seu signo à Iuda proditore edito, milites instar apum & caurorum pinguium accurrunt, irraunt, pungunt, rapiunt, trahunt, trudent, gladios vibrant, nemo non vir videri intendit, incitatus gloriola, & spe gratiæ ineundæ cum Principibus, à quibus missi erant.

O Bone Iesu, quam longè à te est, vt vel fur vel latro esse possis? qui cuncta bona largiris supplicibus tuis, & tamen modo ita tractaris ac si eiusmodi esses nefarius homo. Itaque animaduerto quod alienam culpam tuas, non tuam, vel certe hi tui inualores sunt ipsi fures & latrones, sine causa te vellentes & capientes, per hanc igitur manuum iniquarum iniectio- nem in te, obsecro salua me, & ignosce quod moraliter manus violentas aliquando etiam inieci in te, tuam voluntatem offendendo, vel etiam sacrosanctum corpus tuum in Sacramento indigne tangendo, & da gratiam ne vnquam ullo modo malo iniiciam cum his latronibus in te, manus.

§. 115. *Et tenuerunt eum. v. 46.*

Captivum, ligatum funibus & catenis onustum, verberibus, plagis, pugnis, fustibus, liuidum, iniurijs, contumelijs varijs & multis faturatum tracturi ad Iudicium, tenent lupi agnum, sistendum mox ante leones, canes &

K 2

nes &